

PONDERUM RATIO.

Cum haud levis in re medicamentaria sæpe oriatur error, ex promiscuo mensurarum et ponderum diversorum usu, omnia quæ præscribimus, fluida pariter ac solida pondere solo definimus. Vinum tamen, aquam, et aquosa, metiri fas erit; dummodo pro mensuris, adhibeantur vasa, præsertim vitrea, quorum capacitates et divisiones, libræ medicæ ejusque divisionibus et multiplicationibus accuratè respondeant. Ponderum genere utimur linguâ vernaculâ *Troy weight* vocato, quod in hunc modum dividimus.

Libra	} valet {	uncias duodecim.
Uncia		drachmas octo.
Drachma		scrupulos tres.
Scrupulus		grana viginti.

